

05

A

2516



U
30

B
C



1913. 5846 54.

DISPUTATIO XVI.

ETHICA

Quæ est altera

De

AMICITIA

Quam

DIVINI NUMINIS ANNUENTE GRATIA

In Inclÿta & celeberrima Academia VVittebergenſi,

PRÆSIDE

Clarissimo & Excellentissimo Philoſopho

DIL. IACOBO MARTINI,

Logices & Pract. Philoſoph. Pro-
fessore publ.

Proponit pro virili deſenſurus

JOACHIMUS LIZOVIVS

Rupino-Marchicus.

Ad diem 29. Novemb. Horis locoq; conſuetis.

VVITTEBERGÆ

Ex Officina Johannis Gormanni, Anno 1614.

*Reverendo, Clarissimo, et Excellentissimo Viro Dno. Danieli
Cramero SS. Theologiae D. Ducalis Pädagogij, q̄cos. Sacerdoti
et, professori et Ecclesiae collegiati. hinc. Pastori & Dno.
Accepto et promotori suo imprimis honorando
mittit Aosp.*

1055



Viris-Juvenibus

*Nobilissimis, Excellentissimis,
Politissimis, Literatissimis,*

Dn. HIERONYMO ELVERO,
Luneburgà Saxoni, Berolini Serenissimo ac Po-
tentissimo Electori Brandenburgico JOAN. SL-
GISMUNDO à CONSILIIS,
*Amico meo nupero, sed magno & ex-amussim
suspiciendo.*

Dn. item JOANNI RODENBURGIO
Antvverpiano, Wirebergæ FRID. TAUBMANNI in
Professione Poëseos & humanitatis Successori lectis.
Facultatis ibid. Philosoph. p. t. DECANO,
Præceptoris ac fautori meo reverenter colendo.

VT ET

Adolescentibus ornatiss. & præsantissimis

Dn. CHRISTOPHORO OESLERO, Dn. CONST.
OESLERI Illustris. Pomeranorum Ducis PHILIPPI
II. Archiatri, Medici-experientissimi.

Dn. MARTINO CHEMNITIO Juniori, D. MART.
CHEMNITII II. Ejusdem Principis Cancellarij &
Consiliarij intimi, J.Cti eminentissimi.

Dn. JOANNI JACOBO CRAMERO, D. DAN.
CRAMERI, Illustr. Pædagog. Stetin. Profess. & Eccles.
Colleg. Pastoris, Theologi celeberrimi,

FIL. DEXTRE PATRISSANTIB.

Amicis itidem meis, & fautoribus exoptatissimis, Salutem

& hæc meas Academicas DE AMICITIA
primitias

In observantia & amoris Symbolum

l. mq;

adscribo & inscribo

Joach. Lizovius R.



05 A 2516



DISPUTATIO XVI.

Quæ est altera

DE AMICITIA.

Continuatio.

Quatuor in doctrina de Amicitia potissimum in considerationem veniunt: 1. Definitio amicitiae: 2. Ejus species. 3. Querelæ & mutua officia. 4. Utiles & necessariae de amicitia quaestiones. Priora duo membra explicata sunt disputatione præcedente: sequuntur nunc duo posteriora.

Thesis I.



Querelas & officia inter amicos quod spectat: In honesta amicitia querelæ nullæ sunt: quia in hac observatur vera analogia & proportio, verus amor, vera officia,

II.

In voluptuosa si existant querelæ, tum alter alterum relinquere, & ita amicitiam dissolvere potest.

Arist. lib. 8. Ethic. Nicom cap. 13.

III.

Sed utilis amicitia maximè querelis est obnoxia: quia uterq; amicorum laborat $\pi\lambda\epsilon\omicron\nu\epsilon\zeta\iota\alpha$, ac plura desiderat quam alter possit, aut etiam præstare velit.

IV.

A 2

Si igi-

Si igitur querelas has avertere voluerimus, non temerè à quovis beneficium accipere; sed dantis finem & animum respicere debemus, ita; ut si quæstus & lucri gratia dederit, beneficium recusemus; nec beneficio accepto libertatem vendamus.

Arist. c. jam l.

V.

Sed quid, si beneficium jam acceperimus? Itidem videndum, an datum sit ex benevolentia, an lucri gratia: si hoc, statim compensandum, & compensatio fieri debet ex beneficiorum recta æstimatione, quæ accipienti permittenda est, ut paulò pòst videbimus.

Aristot. lib. 8. Nicom. c. 13 & lib. 9. eor. cap. 1.

VI.

Existunt etiam querelæ in ijs amicitijs, quæ ἐν ὑπεροχῇ consistunt.

VII.

Nam qui virtute melior, majora sibi tribui propter virtutem postulat, qui opibus superior, majora sibi tribui propter collata in alterum beneficia: qui in omnibus inferior est, plura postulare videtur jure amicitia?

Arist. lib. 8. Eth. Nicom. cap. 14.

VIII.

Ut verò rectè hisce querelis occurratur, unicuiq; debemus tribuere id, quod ipsius exigat dignitas: superiori pro virtute honorem: pro beneficijs pecuniarijs laborem: pro labore pecunias.

IX.

Quod si verò inferiores ea non præstare potuerint, quæ meritò debebant, tùm superiores sint contenti, & nihil super eorum vires postulent.

Arist. lib. 8. Eth. Nicom. cap. 14. in fine.

X.

Notandum porrò hic quod amicitia alia dicantur ὁμοιοειδῆς similes specie: alia ἀνομοιοειδῆς specie dissimiles. In illis amici se amant propter eandem rem, nempe voluptatem aut utilitatem: in his propter res diversas, ut si hic alterum amat propter utilitatem, alter hunc propter jucunditatem.

Arist. lib. 9. Ethic. Nicom. c. 1.

XI.

Ex his posteriores quoq; firmæ esse possunt, si serverur in bene-

beneficijs & officijs compensandis proportio ; cuius hæc natura est, ut etiam inæqualia & dissimilia ad æqualitatem & similitudinem reducere possit. Proportione verò hac sublata statim querelæ oriuntur : quæ rursus corriguntur per justam ἀντιφίλησιν καὶ ἀντίδωσιν.

Arist. cap. jam l.

XII.

Justa autem ἀντίδωσις pendet ex æstimatione beneficiorum : & hæc nisi dans ipse quæstus & lucri dederit, committenda est accipienti propterea ; quia in liberali beneficij expositione dans tacite permittit liberam accipienti retributionem : quia accipiens melius novit usum rei acceptæ : quia etiam in foro emptor potius æstimat quàm venditor : quia accipiens in æstimatione non excedit : quod tamen dans sæpe solet facere.

Aristot. lib. 9. Eth. Nicom. cap. 1.

XIII.

Cum igitur accipiens beneficium æstimat, observabit indigentiam : & secundum hanc æstimabit : quia indigentia est verissima mensura rerum ad vitam necessariorum.

Arist. lib. 5. Eth. Nicom. cap. 5.

XIV.

Hæc de querelis. Dictum autem supra est, amicitia usum præcipue consistere in beneficiorum & officiorum (a) communicatione : hic de officijs nobis agendum erit.

(a) *Arist. lib. 8. Ethic. Nicomach. c. 5. l. 9. cor. c. 2.*

XV.

Ut ergo unicuique secundum dignitatem tribuamus ea officia, quæ amicitia postulat, unicuique convenientia perpendamus οἰκεία καὶ ἀρμόπροντα : ut parentibus τὰ θρηπτήρια & τιμῶν reverentiamque debitam.

XVI.

Fratribus debetur κοινωνία officiorum : item παρρησία in colloquijs, consilijs & admonitionibus.

XVII.

His adnumerantur illi etiam fratres & sodales, qui propter similitudinem ætatis, morum & studiorum libenter nobiscum conversantur. Nostri vocant DutzBruder.

A 3

18. Co.

XIIX.

Cognatis & adfinibus & alijs sanguine nobis junctis tribuenda ea sunt officia, quæ ad generis & familiæ honorem præcipue requiruntur.

Arist. lib. 9. Ethicor. Nicom. c. 2.

XIX.

Tribulibus, civibus, vicinis cæterisq; omnibus proprium jus tribuatur & perpendantur, quæ cuique insint ratione necessitudinis virtutis & usus.

Arist. ibidem.

XX.

Quæri hic meritò potest, an officia sint referenda prius benefactori, an prius amicis, si utrumq; simul fieri non possit.

XXI.

Respondemus benefactori, nisi lex naturæ interveniat aliudq; postulet: Nam benefactor suum officium tam diu apud nos tanquam mutuum deponit: quod ex solvendum prius est, antequam alijs gratificemur.

Arist. lib. 9. Ethicor. Nicomach. cap. 2.

XXII.

Cæterùm adjuncta Amicitia Aristoteles quatuor enumerat: *εὐνοίαν* benevolentiam: *εὐεργεσίαν* beneficentiam: *ὁμόνοιαν* concordiam: & *συμπίπν* convictum.

Arist. lib. 9. Ethic. Nicomach. cap. 4.

XXIII.

Et hæc adjuncta colliguntur ex proprietatibus τῆς Φιλίας, quæ maxime in virtutem bonum cadit: sed nota Φιλαντία esse duplicem, bonam aliam, aliam malam.

XXIV.

Bona est, qua quis præcipuam sui partem, hæc est, animum maxime amat: eumq; studet præstantissimis bonis exornare: Ec hæc viri boni est.

XXV.

Mala Φιλαντία est, qua quis cupiditatibus suis & adfectibus indulgens in expetendis voluptatibus corporalibus, & bonis

nis

nis externis modum excedit, & varijs sceleribus se contaminat:
hæc mali vitæ est & semper vituperanda.

Arist. lib. 9. Ethic. Nicom. cap. 4. & 8.

XXVI.

Primum ergo Amicitia adjunctum benevolentiam defini-
mus occultam quandam & otiosam amicitiam, quæ progressu
temporis accedente consuetudine in veram amicitiam transire
potest.

Arist. lib. 9. Ethic. Nicom. cap. 5.

XXVII.

Differunt ergo εὐνοια & Φιλία: cum illa sit λαγύνη, hæc
μὴ λαγύνη: illa sit otiosa, hæc mutua.

Aristot. lib. 8. Nicom. c. 2. lib. 2. Mag. Moral. cap. 11. lib. 7. Eudem. cap. 2. & sequent.

XXVIII.

Interim tamen benevolentia ad veram amicitiam maximè
necessaria est; unde etiam δεξιὴ τῆς Φιλίας dicitur: Et alibi Be-
nevolentia est amicitia fons à natura constitutus, qua sublata et-
iam amicitia nomen tollitur.

Cic. in Lelio.

XXIX.

Alterum amicitia adjunctum est ὁμόνοια concordia: quæ
est amicitia politica, & versatur in ijs rebus, quæ Reipubl. con-
ducunt, quæq; ad usum vitæ pertinent.

Arist. lib. 9. Ethic. Nicomach. cap. 6.

XXX.

Non autem ὁμόνοια eadem cum ὁμοδόξια, cum hæc etiam
inter ignotos, illa solum inter notos sit. Deinde illa solum sit
in rebus gerendis ad Reipubl. & vitam pertinentibus, hæc etiam
in scientijs & alijs artibus locum habet.

Arist. ibid.

XXXI.

Cernitur Concordia tantum in viris bonis: quia hi secum
ipsis maximè sunt concordès respectu animi & virtutis: & sunt in
proposito constantes, & quarunt id, quod maximè honestum est

XXXII.

Mali cum & à seipsis dissident, & ab aliis, & fluctuantem habent animum: & sua solum quærunt commoda, aliorum negligunt, imò sæpè impediunt, reverà concordés esse non possunt.

Arist. lib. 9. Ethic. Nicom. cap. 5.

XXXIII.

Tertium amicitia adjunctum τὴν ἐνεργησίαν & beneficentiam hic fusè non tractabimus: cùm præsertim à Liberalitate pendeat, de qua supra egimus.

XXXIV.

Est tamen Beneficentiæ in amicitia usus splendidus: quia amico non solum debemus benè velle, sed etiam hanc nostram voluntatem internam externis factis & beneficijs palàm demonstrare.

Arist. lib. 9. Ethic. Nicomach. cap. 2.

XXXV.

Moveri hic solet quæstio, *cur benefactores magis ament beneficiarios, & hi minus illos?* Ratio à Philotopho datur: Quia omnis artifex magis opus amat quam opus artificem, si redamare possit. Ita etiam benefactor suum beneficiarium, quia hic illius quasi opus. Atq; hæc quoq; causa est: cur Poëtæ ita ament suos versus: parentes suos liberos.

Arist. ibid.

XXXVI.

Deindè extra controversiam est, honestum magis amandum quam utile (b) honestus autem benefactori est beneficiarius, beneficiario benefactor utilis.

(b) *Cicero lib. 1. & 3. Officior.*

XXXVII.

Et præstantiori præstantius tribuendum: amare autem tanquam actio præstantius est quiddam, quam (c) amari. Meritò igitur benefactor magis amabit beneficiarium, quam hic illum.

(c) *Arist. lib. 4. Ethic. Nicom. cap. 1.*

XXXVIII.

Quartum amicitia adjunctum est συμπλοκή, quæ in amicitia requiritur propterea, quia conspectus amici amico jucundus

us

duſ eſt : quia in ſocietate eſt neceſſaria ſemper converſatio ; quia ex converſatione cognoſcitur amici amor, ſalus, officium : quia deniq; *συμβιώσῃ* actiones exerceri eò melius poſſunt, quæ ad amicitiam pertinere videntur.

Ariſtot. lib. 9. Ethic. Nicom. cap. 12.

XXXIX.

Iccirco converſatio quoq; magnam vim in eo habet, quod ſimilitudinem ſtatim faciat morum & ſtudiorum in ijs qui illa delectatur. Neque tamen hic de malorum, ſed benevolorum, maximè converſatione agimus.

Ariſt. ibid.

XL.

Reſtat poſtremum diſputationis huius membrum, in quò quaſtiones explicandæ nobis ſunt aliquæ, quarum prima eſt de *Φιλαντία*, an hæc in virum bonum cadat? Et reſpondemus, quod ſic qualis autem hæc *Φιλαντία* ſit, ſupra declaratum eſt.

XLI.

Deinde quaeritur, an Beatus amicis etiam opus habeat? Affirmativum facilè defendimus: quando Beato *ἰντάρκειαν* adſcribimus: ſub qua amici etiam ſunt contenti. Cum enim omnia poſſideat Beatus bona, cur non & id, quod *κτημάτων πάντων ἐστὶ πμιώτατον*: quale amicum eſſe deprehendimus? Cumq; homo natura ζῶον ſit *πολιτικόν* (d) cum nullo alio, quam amico, Beatus converſabitur.

(d) *Ariſt. lib. 1. Ethicor. Nicomach. cap. 7. l. 9. eor. cap. 9. lib. 1. polit. cap. 2. lib. eor. 3. cap. 4.*

XLII.

Converſabitur autem Beatus maximè cum amico honeſto: quia in tali amico ſe ſuaſq; virtutes optimè contemplatur: & erga talem virtutis actiones maximè exercet: cum præſertim beatitudo poſita ſit in virtutum actione.

Ariſt. lib. 1. Eth. Nicom. cap. 7. & 8. & 10. lib. eorund. cap. 9. lib. 10. eor. cap. 6, & 9. lib. 7. polit. cap. 1.

XLIII.

Quæri etiam hoc in loco potest: *an ἀφιλίαν, an verò πολυφιλίαν sequi homines debeant?* Respondemus generatim neq; ἀφιλίαν η̄ καὶ πολυφιλίαν commendandam esse: sed eum servandum modum, ut homines tot habeant amicos, quot idonei sunt ad convictum & officiorum communicationem.

XLIV.

Atqui reperiuntur quidam, qui pluribus delectantur amicis, & omnibus amici esse volunt! His accomodabimus id quod alias dicitur: *qui omnibus amicus, nulli amicus est.* Et licet quidem hoc præstent, ut plurimis placeant: tamen non amici, sed blandi sunt propriè appellandi.

Arist. lib. 9. Ethic. Nicom. cap. 10.

XLV.

Postremò hic quæri potest, *an in omni fortuna amicis sit opus?* Respondemus affirmative. In adverſa, quoad auxilium & solatium; in secunda quoad conversationem & jucunditatem; in utraq; quoad honestatem. Honestos enim semper amicos exoptare debemus.

Arist. lib. 9. Ethic. Nicom. c. 11.

Hactenus de Amicitia.

Dn. Re-

Dn. Respondenti

amico.



Ullaba trina tribus cogit me ludere a-
mici,

Transfusis literis nomina cuius
amas. (dit amicus

Sed Joachimus, io qui nomine ut au-

Miror cur rixis stringat amicitiam?

Non inimicatur; Genium investigat amici:

Terminet has rixas gloria; ut orsus amor.

gratulatur

Christianus Reineccius.

Ornatissimo & doctissimo

Dn. RESPONDENTI

Querere te verum est in te quodcumq; requiris?

Quae ais; atq; ipso facto das ipse prae-batum:

Quaeris amicitiam; cur? in te quippe requiris:

Cur quod **QUOD HABES** quaeris? quia non **ALIENA** requiris:

Cur quod **ADEST** quaeris? **PRAESENTIA** forte requiris:

(Cui etenim esse bono possunt absentia? nulli:)

LAUDO: age **AMICITIAM** sic in te saepe requiras:

Sic in amicitia fac non **ALIENA** requiras:

Plus in amicitia **PRAESENTIA** quae saepe requiras,

Sunt, quaecumq; absunt, alienaq; saepe periculo.

Gratulatur

Michael Barbarossa Lubecenf.

Ad

Ad Humanissimum & Doctissimum
Dn. R E S P O N D E N T E M Sympa-
triotam & amicum suum de
AMICITIA differentem.

A Rdua crede, bonum, res est, offendere amicum
Quem multos inter vix tibi concilias.
Invenies multos simulantes nomen amici,
Queis tamen an fidas subdubitare licet.
Multa quidem dicunt, promittunt multa subinde
Sed dictis animus vix sua vota dabit.
Invenies plures felici tempore amicos
Nubila si fuerint tempora, solus eris.
Ergo ne JOACHIME sapis quod mente sagaci
Rectè rimaris quæsit amica-fides.
Sic linques falsos, sic ritè tenebis amicos
Sinceros, te queis annumerare queas.
Hos tibi sola dabit virtus, quos dicis amicos,
Quorum non dubites ritè subire juga.

F. Thomas Schönberg
Rupino-Marchicus.

F I N I S.

05 A 2516

ULB Halle

004 544 994


3



WOM







5846 54

DISPUTATIO XVI.

ETHICA

Quæ est altera

De

TRICITIA

Quam

MINIS ANNUENTE GRATIA
leberrima Academia VVittebergenfi,

PRÆSIDE

& Excellentissimo Philosopho

COBO MARTINI,

& Pract. Philosoph. Pro-
fessore publ.

onit pro virili defensurus

HIMUS LIZOVIUS

Rupino-Marchicus.

Novemb. Horis locoq; consuetis.

VITTEBERGÆ

Johannis Gormanni, Anno 1614.

Excellētissimo Viro M. Danie-
gie D. Nicolai Jüdayoffkygod Sadini
sui Collegiati h. d. Pastori & Do-
matori suo imprimi jussit
mittit Aesp.

1055

